



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,  
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In  
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

**Fargna, Francesco de**

**Romæ, MDCCXVIII**

Casus XV. Argumentum. Substituta à Fundatore in Jurepatronatus Ecclesia Cathedrali in defectum eorum de familia, istis deficientibus, Juspatronatus, ad quem spectare dicatur ad Episcopum, vel potiùs ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72203)



juxta legem foundationis Cappellanus tenetur per seipsum celebrare in Ecclesia Cathedrali Malleani; Nam Beneficiorum incompatibilitas operatur solum, ut retineri non possit utrumque Beneficium, non autem ut obtinens primum, non valeat secundum assequi *Rot. decis. 101. n. 5. par. 4. decis. 131. num. 8. par. 11. decis. 116. n. 11. par. 36. rec.*, & in *Colonien. Canonizatus prima Gratia 17. Februarii 1696. §. Minusque obreptio coram Reverendiss. D. meo Decano.*

Non subsistente, quod voluntas Testatrix in jungentis celebrationem per seipsum, resistat principio acquisitionis in Philippo, qui coactus alibi residere vigore Beneficii cum Animarum cura non potest dictam celebrationem per seipsum explere, ex firmatis per *Rot. in Asculana Cappellania 26. Junii 1693. coram bo. me. Benincasa.* Etenim cum Testatrix non excluderit expressè Possidentes alia Beneficia residencialia, & de jure, ut mox dictum est, incompatibilitas obstat retentioni, non autem assequutioni, non habet Philippus obicem ullum, per quem, vel ex voluntate Testatrix, vel ex juris dispositione arceri valeat ab acquisitione dictæ Cappellanæ, & inapplicabilis remanet mox dicta decisio coram bo. mem. Benincasa, quia in illius casu Testatrix literaliter, & expressè excluderat ab assequutione, ejusdem Priorem, & Canonicos tam præsentis, quam futuros; unde habentes hujusmodi qualitatem reddebantur incapaces Cappellanæ ob resistantiam voluntatis Testatrix impeditivam cujuscumque juris etiam in actu primo, quod non concurrat in præsentis, ut bene explicat eadem decisio *§. Allata verò distinctio.*

Et ita utraque &c.

#### ARGUMENTUM.

Substituta à Fundatore in Jurepatronatus Ecclesia Cathedrali in defectum eorum de familia, istis deficientibus, Juspatronatus ad quem spectare dicatur ad Episcopum, vel potius ad Capitulum? & si spectaret ad Episcopum, an eo defuncto, seu sede vacante Juspatronatus transiret in Capitulum?

#### S V M M A R I U M.

- 1 *Nomine Ecclesie Cathedralis an veniat solum Capitulum, vel Capitulum simul & Episcopus? Et n. 4. & 8.*
- 2 *An Episcopus possit habere jus presentandi simul, & instituendi respectu unius ejusdem Beneficii? Et n. 9.*
- 3 *Juspatronatus relictum Episcopo an censeatur relictum Ecclesie Cathedrali? Et n. 10. & 12.*
- 4 *Juspatronatus relictum Ecclesie Cathedrali spectat ad Episcopum simul & Capitulum, & quare. Vide n. 6. Et quidem spectat ad Episcopum simul & Capitulum per modum unius Collegii, secus si esset relictum Episcopo, & Capitulo. Vide n. 7.*
- 5 *Legatum factum Ecclesie Cathedrali extenditur ad Episcopum.*
- 11 *Juspatronatus relictum Capitulo, seu Canonicis, non dicitur relictum Episcopo.*
- 13 *Relicto jurepatronatus Ecclesie Cathedrali, si de tempore dispositionis essent duæ Ecclesie Cathedrales æque principaliter unitæ sub uno Episcopo, de qua ex dictis Ecclesiis esset intelligendum?*
- 14 *Sede Episcopali vacante, an juspatronatus spectans ad Episcopum transeat in Capitulum?*

#### C A S U S X V.

**I**N limine erectionis Beneficii reservatum fuit Juspatronatus à Fundatore pro omnibus de ejus familia, quibus deficientibus, substituta fuit Ecclesia Cathedralis A. Cum in præsentis evacuata sit prima vocatio per defectum omnium de dicta familia, & factus sit locus substitutioni favore Ecclesie Cathedralis, Episcopus prætereundere cœpit ad se spectare hujusmodi Juspatronatus; cui se opposuit Capitulum Cathedralis pro se eandem præterventionem fovens. Quæritur proinde, An Juspatronatus relictum Ecclesie Cathedrali spectet ad Episcopum, vel potius ad Capitulum; Et quatenus spectet ad Episcopum, An eo defuncto, seu sede Episcopali vacante, Juspatronatus transeat in Capitulum?

**I** Quoad primam partem hujus Dubii respondendum videtur spectare ad Capitulum, & nullatenus ad Episcopum; Quoniam nomine Ecclesie Cathedralis absolute

tè



tè loquendo, comprehenditur videtur solum Capitulum, adeoque Juspatronatus relictum Ecclesie Cathedrali, censetur relictum soli Capitulo, ad quod dumtaxat spectabit jus presentandi Rectorem in vacatione Beneficii, non verò ad Episcopum; sub hac enim significatione sumitur illud nomen *Ecclesia Cathedralis* à Textu in cap. cum Clerici de verb. signific. ibi-- Cum Clerici Placentini iuramentum præstant sub hac forma verborum-- Ego talis ab hac hora in antea fidelis ero, & obediens Placentinae Ecclesie, & Domino meo Episcopo; Nos consulere voluistis, utrum intelligi debet Clerus totius Diocesis, An Capitulum Ecclesie Cathedralis. Nos igitur taliter respondemus, quòd per Ecclesie Placentinae vocabulum in forma iuramenti præscripti non debeat intelligi totius Diocesis Clerus, et si Capitulum intelligatur Ecclesie Cathedralis-- quem sequuntur Federic. de Sen. conf. 296. n. 2. Bero. conf. 148. n. 2. vol. 3. Costa de ratione rata q. 199.

2 Nec est verisimile, quòd Fundator reservando Juspatronatus favore Ecclesie Cathedralis in defectum eorum de familia voluerit comprehendere Episcopum, dum Episcopus, cum respectu præfati Beneficii habeat jus instituendi, non præsumitur Fundator ei concessisse etiam jus presentandi ad idem Beneficium, aliàs ignoratur in hoc casu, coram quo Episcopus presentare deberet; Presentans enim debet esse persona distincta ab Instituyente, juxta naturam presentationis requirentis concursum trium personarum, nimirum Instituentis, Presentantis, & Presentati. *Letter. de re benef. lib. 2. q. 6. n. 33. Rot. in Romana Cappellania 25. Novembris 1707. S. Verum coram Eminentiss. Scotto.*

3 Et probatur paritate; nam Juspatronatus relictum Episcopo, non censetur relictum Ecclesie Cathedrali, nec huic tenetur Episcopus illud communicare, ut in terminis legati tuetur *Imol. in cap. Requisti de testam. num. 1.* Ergo nec relictum Ecclesie Cathedrali præsumi debet relictum Episcopo, sed soli Capitulo, ad quod spectabit presentatio in successivis vacationibus Beneficii privative.

4 Verum his non obstantibus censeo Juspatronatus relictum Ecclesie Cathedrali spectare ad Episcopum simul, & Capitu-

lum; Ecclesia namque Cathedralis est nomen collectivum comprehendens Episcopum tamquam caput, & Capitulum tamquam membra, & ejus appellatione venit Episcopus simul, & Capitulum, ut expressè docet *Glos. in cap. cum Cleric. de verb. signif. verb. cum Clerici, ibi-- Nota, quòd cum dico, Ecclesia Cathedralis, nomine Ecclesia intelligitur Episcopus, & Capitulum; quia Episcopus est in Ecclesia, & Ecclesia in Episcopo, ibique Butr. num. 2. ibi-- Nota quòd appellati one Ecclesia comprehenditur videtur Prælatum-- idem Butr. in cap. Requisti de testam. n. 4. Imol. n. 27. in fin. Federic. de Sen. conf. 296. n. 2. Tusch. concl. 19. lit. E. n. 1. Barbof. de appellat. verb. Ecclesia n. 9. Et consequenter Juspatronatus relictum Ecclesie Cathedrali, dicitur relictum Episcopo simul, & Capitulo, *Fagnan. in cap. Cum Ecclesia Vulterana n. 20. & seq. de elect.* sicut iuramentum præstitum Ecclesie Cathedrali, dicitur etiam præstitum Episcopo. *Butr. in d. cap. Cum Clerici n. 7. ubi dat rationem ibi-- Quia in spiritualibus non est divisa administratio inter Episcopum, & Capitulum--* Et sicuti legatum factum Ecclesie Cathedrali ex solo sono verborum extenditur ad Episcopum, & hic includitur, cum Episcopus sit in Ecclesia, & Ecclesia non possit esse sine Episcopo, *Text. in cap. Scire 7. q. 1. Butr. in cap. Requisti de testam. nu. 18. ibique Barbat. n. 12. prope fin. & n. 17.**

6 Ratio autem videtur esse, quia inter Ecclesiam, & Episcopum datur spirituale conjugium, & Ecclesia Cathedralis constituitur ex Episcopo, & Capitulo tamquam unum corpus. Unde Fundator relinquendo Juspatronatus Ecclesie Cathedrali non potest contemplare Ecclesiam sine Episcopo, cum Ecclesia non possit esse Acephala. *Text. in cap. novit, & in cap. quanto de his, que sunt à Prælat. Abb. in cap. Requisti de testam. n. 6. ibique Barbat. n. 12. 18. & 32. Imol. n. 19. sed dicendum comprehendere voluisse Episcopum simul, & Capitulum, & utrumque in eo succedere. Et quidem crederem in dicto Juspatronatus utrumque succedere per modum unius Collegii, seu presentationem spectare ad Episcopum, & Canonicos omnes in solidum, non verò pro medietate ad Episcopum, & pro alia medietate ad Capitulum; ad differen-*  
tiam



tiam alterius Casus, ubi Juspatronatus fuisset relictum Episcopo, & Capitulo, in quo pro medietate competeret Episcopo, & pro alia medietate Capitulo, eodem modo quo data potestate consulendi Rectori, & Universitati Scholarium, tantam potestatem habet Rector, quam Universitas Scholarium, per ea, quæ tradit *Barbat. in cap. Requisisti de testam. nu. 11. ibique Abb. n. 2.*

8 Quæ autem superius ex adverso obiciebantur, nullatenus officiant; Constat enim ex supra deductis §. *Verum*, quod nomine *Ecclesie Cathedralis* non veniat solum Capitulum, & quod Fundator relinquendo Juspatronatus *Ecclesie Cathedralis* non præsumatur comprehendere voluisse solum Capitulum, nisi ex communi usu loquendi Loci, ubi fuit facta dispositio nomine *Ecclesie Cathedralis* veniret solum Capitulum, aut nisi Fundator haberet particularem affectionem erga Capitulum, aut nisi Canonici essent ejus Amici; tunc enim propter has circumstantias dispositio Jurispatronatus favore *Ecclesie Cathedralis* præsumeretur facta à Fundatore favore solius Capituli, *Barbat. in d. cap. Requisisti de testam. n. 13. & seqq. ibique Abb. nu. 2. Imol. num. 3. 10. & 18.*

9 Nec implicat, quod Episcopus habeat in hoc casu jus præsentandi simul, & instituendi respectu unius ejusdem Beneficii; Quoniã potest Episcopus, quando ei competit Juspatronatus ratione Episcopatus, & adsunt alii Patroni, præsentare, ut Patronus, & instituere, ut Episcopus; & sic repræsentare duplicem personam Institutentis scilicet, & Præsentantis, secus si non adsint alii Compatrii; quia tunc procedere debet per viam simplicis collationis, absque præsentatione, ut expressè docet *Abb. in cap. Significasti de jurepatr. n. 3. ibi-- Cum autem institutio pertineret ad Episcopum, & de novo acquisivit juspatronatus, sunt opiniones, qualiter Episcopus debeat providere Ecclesie, Goffredus dicit, quod ipse præsentabit sibi ipsi tamquam Patronus, & tamquam Episcopus instituet &c. Hostiensis dicit, quod præsentatio confunditur cum institutione: Unde Episcopus providebit per viam collationis, sicut facit in aliis Beneficiis non patronatis, & hæc opinio placet Joanni Andrea, si Episcopus*

Pars II.

*pus est solus Patronus, sed si habet Compatrios, procedit opinio Goffredi, & hoc satis potest sustineri -- Lambertin. de jurepatr. lib. 3. q. 8. art. 10. per tot. Vivian. eod. tract. lib. 5. cap. 2. n. 8. Vide infra Can. IV. V. VI. VII. VIII. Caf. IV.*

10 Paritas autem superius deducta non obstat: Episcopus enim duplicem respectum habere potest, nimirum personæ privatæ, aut Dignitatis; si Fundator relinquendo Juspatronatus Episcopo, illud reliquerit respectu, & contemplatione personæ, uti esset si Fundator esset propinquus, aut amicus Episcopi, aut dixisset -- *Relinquo juspatronatus Episcopo tantum -- Barbat. in d. cap. Requisisti de testam. num. 13. & 36. Imol. n. 23.* Tunc certum est, quod Juspatronatus relictum Episcopo, non censetur relictum *Ecclesie Cathedrali*, quia nomine *Ecclesie Cathedralis* non comprehenditur Episcopus

11 tamquam persona privata; sicuti Juspatronatus relictum Capitulo, seu Canonici non dicitur relictum Episcopo, quia Capitulum est quid diversum ab Ecclesia, & non comprehendit totam Ecclesiam; non enim comprehendit Episcopum, & alios Clericos. *Barbat. ubi supra num. 23.*

12 *ibique Abb. n. 27. Butr. n. 25.* Si verò Fundator relinquendo Juspatronatus Episcopo, illud reliquerit intuitu, & contemplatione Dignitatis, tunc conferretur reliquitte ipsi Ecclesie, ad *Text. in l. Annua §. Attia ff. de ann. legat. Manic. de conject. ult. volunt. lib. 8. tit. 6. nu. 20. & sub nu. 23. §. Secundò respondeo, Rot. in Leodien. Beneficii 29. Novembris 1706. §. Non attento coram R. P. D. Omana, & in Mediolanen. juspatronatus 21. Februar. 1707. §. Quod autem coram Eminentijs. Scotto.*

13 Sed si essent duæ Ecclesie Cathedralis æquè principaliter unitæ sub uno Episcopo, & Fundator relinqueret Juspatronatus *Ecclesie Cathedrali*, de qua ex dictis duabus Ecclesiis esset intelligendum? Respondeo, quod in hoc casu attendenda essent locus, & affectio Fundatoris, & præsumeretur intellexisse de illa Ecclesia Cathedrali illius loci, in quo Fundator esset de tempore dispositionis, aut erga quam habuit affectionem, & si non appareat de qua Ecclesia intellexerit, dividi poterit exercitium Jurispatronatus quoad illas, ut in terminis legati loquitur

N

Bar-



*Barbat. in d. cap. Requisisti de testament. num. 16.*

14. Descendendo ad examen secundæ partis propositi dubii, nimirum, an defuncto Episcopo, seu sede Episcopali vacante, Juspatronatus, quod ad ipsum spectabat, transeat in Capitulum?

Respondeo affirmativè. Licet enim quando Juspatronatus, seu præsentatio spectat ad solum Episcopum, eo defuncto, & sede Episcopali vacante, non transeat in Capitulum, tamen quando Juspatronatus, prout in casu præsentis, spectat ad Episcopum simul, & Capitulum, sede Episcopali vacante, transit in Capitulum, & consolidatur totum in illo, juxta distinctionem, quam tradit *Lambertin. de jurepatr. lib. 2. part. 1. q. 2. art. 14. n. 8. Lotter. de re benef. lib. 2. q. 2. n. 14. & seq.*

#### ARGUMENTUM.

Juspatronatus Gentilitium in ultimo de familia fit hæreditarium, & an fiat hæreditarium, quando, deficientibus eis de familia, à Testatore fuisset facta substitutio favore causæ piæ.

#### S Y M M A R I U M.

- 1 Juspatronatus Gentilitium in ultimo de familia fit hæreditarium. Limita, ut num. 2. & 3.
- 2 Juspatronatus competens eis de sanguine ex mero privilegio, non transit ad illegitimos.
- 5 Substituta causa pia per vulgarem in juspatronatus gentilitio, hoc existentibus eis de familia in ultimo fit hæreditarium.
- 6 Substituta causa pia per fideicommissariam absolutè, juspatronatus gentilitium in ultimo de familia non fit hæreditarium, sed transit ad causam piam. Secus si causa pia fuisset substituta conditionatè, & conditio non fuisset purificata, vel substitutio fuisset à Fundatore per codicillos adempta.

#### C A S U S X V I.

**I**N limine erectionis Beneficii reservatum fuit Juspatronatus à Fundatore pro eis de propria familia; quibus deficientibus substituta fuit causa pia, nempe Monasterium A. hinc quæro?

Primò, An Juspatronatus Gentilitium

in ultimo de familia fiat hæreditarium?

Secundò, An fiat hæreditarium, quando deficientibus eis de familia, fuit substituta causa pia.

Quoad primum, celebre est, ac vulgatum *consilium Ancharani* 81. ubi firmatur Juspatronatus Gentilitium in ultimo de familia fieri hæreditarium, quod *consilium nullatenus attentis deductis à Geminiانو conf. 45. n. 7.* fuit communiter à Doctoribus receptum, signanter à *Roeb. de Curt. de jurepatronat. verb. ipse, vel is num. 19. Lambertin. eodem tract. lib. 1. par. 2. qu. 2. art. 4. nu. 1. & seq. Calderin. conf. 4. de jurepat. Card. de Luc. eodem tract. disc. 35. n. 3. Rot. decisi. 285. n. 1. & seqq. par. 1. divers. in Balneoregien. Beneficii 21. Januarii 1707. §. Quatenus coram R. P. D. Kautitz, & in Granaten. Cappellania 27. Novembris 1713. §. Regularè coram R. P. D. Falconerio, & in Nolana Beneficii 23. Febr. 1714. §. Minusque coram R. P. D. Crispo.*

2. Solum tamen patitur limitationem in duplici casu. Primò in casu, quo in reservatione Juspatronatus pro eis de familia fuisset à Fundatore appositæ clausulæ limitativæ, & restrictivæ ejusdem Juspatronatus favore Ecclesiæ, secus si fuissent appositæ clausulæ limitativæ favore masculorum, aut agnatorum; Sciendum est enim, quòd aliæ sunt clausulæ limitativæ Juspatronatus favore Ecclesiæ, seu quæ stant ad limitandum Juspatronatus, ut sunt istæ ex. gr. & non ultra, non aliis, ac etiam istæ tantum, solum, dumtaxat appositæ respectu omnium de sanguine. Et aliæ limitativæ Juspatronatus favore masculorum agnatorum, seu quæ stant ad limitandas personas, ut sunt istæ tantum, dumtaxat appositæ respectu eorundem masculorum, & agnatorum. Si Juspatronatus gentilitium sit reservatum à Fundatore pro eis de familia cum clausulis limitativis favore Ecclesiæ. Ex. gr. pro eis de familia, & non ultra, aut non aliis, aut pro omnibus Consanguineis tam agnatis, quam cognatis tantum, dumtaxat, in ultimo de familia, aut de sanguine non fit hæreditarium, sed eo defuncto, Ecclesia evadit libera; Si verò Juspatronatus gentilitium sit reservatum cum clausulis limitativis favore masculorum agnatorum, ex. gr. pro masculis, aut agnatis tantum, dumtaxat in ultimo